

ET MORBILLIS.

34. Ad munus Medici quod attinet, statuit Auenzoar, ^{Præserua-}
hunc morbum perinde vt pestem non solum curatione, sed ^{tio.}
etiam præseruatione opus habere: idq; cum primis, si aëris
vitio grassetur, aut contagio serpat, vt accidere consuevit.
Quare præseruationis gratia, vtile est ante omnia, pueros &
eos, qui variolis & morbil. nunquam tentati fuerunt, ægros
variol. aut morbil. laborantes, aut qui cum laborantibus
conuersantur, fugere, aërem vitiatum corrigere, vt in præ-
seruatione pestis. Deinde corpus à superfluis humoribus e-
uacuare, viscera roborare, & fugere cibos, qui feculentum
& corruptum sang. gignunt. Prohibere autem variolas &
morbil. priusquam morbus incipiat vtile est. Verum post-
quam inceperit, præstat motum naturæ sequi, & materiam
vitiosam ad cutem propellere.

35. In curatione autem primus scopus est naturæ labo- ^{Indicatio-}
ranti in expulsionem materiæ vitiosæ subuenire. Deinde acci- ^{nes cura-}
dentia tollere, & præcauere, ne in expulsionem illa partes in- ^{tiuæ.}
ternæ aut externæ grauem noxam contrahant. Subuenit me-
dicus naturæ, vel quia causam morbificam vires impedi-
tem, tollit; vel quia ipsas vires confortat, motumq; naturæ
adiuuat. Causa autem illa est vehemens sang. feruor, aut pu-
trede & corruptio humorum, aut nimia copia vel tenuitas,
crassities, malignitas: interdum obstructions vasorum, aut
cutis nimia adstrictio & densitas. Quare prima indicatio
erit humores ad mediocritatem reducere, vt natura ijs faci-
lè dominari queat. Quod si peccent nimio feruore & tenui-
tate, oportet refrigerare, motum humorum refrenare, mo-
diceq; incrassare: si putredine, refrigerare, exiccare, euenti-
lare, obstructions aperire. Deinde quod iam putrefactum
est, eradicare, & ad cutem, quò natura viam affectat, ducere.
Si peccent nimia copia, statim initio euacuare: si crassitie,
extenua-